5

CONGREGATIONE SAC. RITVVM

Albanen.

ANIMADVERSIONES

Reuerendiſs. Promotoris Fidei.

SVPER DVBIO;

An permitti poſſit Cultus publicus Sanɛ̃to Iob.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
M.DC.LXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

SVMMARIVM.

1 Quaestionis status.
2 Afferuntur authoritates pro neganda permissione cultus publici S. Iob.
3 Adducitur usus Ecclesiae, quae Sanctis veteris Testamenti non concessit festiuitates, nec officia de praecepto.
4 Imò nec fuit solitum adhiberi cultum priuatum per impositionem infantibus nominum dictorum Sanctorum.
5 Ex his dubitare potuit Reuerendissimus Suffraganeus posse dare licentiam non exhibito indulto.
6 Affirmatiua sententia, quod Sanctis veteris Testamenti exhiberi possit cultus publicus, praeualere videtur.
7 Non agitur hic de formali Canonizatione, sed de sola exhibitione cultus publici.
8 Plures, & validae rationes pro hac sententia latè, ac eruditè fuerunt allata à Reuerendiss. Archiepiscopo Tarsen. in praeterita Congregatione.
9 Vrgent pro eadem sententia rationes adducta per Viguerium, & alios.
10 Sanctorum memoria glorificanda est ob eorum imitationem promouendam.
11 Cultus publicus negari nõ potest ijs, quibus Ecclesia publicè preces effundit.
12 Ideò conuenit Sanctis veteris Testamenti.
13 Adducitur consuetudo Ecclesiae Orientalis, quae est vna cum Occidentali.
14 Et etiam usus Ecclesiae Latinae, dum in pluribus locis in honorem Sanctorum veteris Testamenti fuerunt dedicatae Ecclesiae, & erecta Altaria, & praesertim sub inuocatione S. Iob.
15 Idque ab antiquissimo tempore concessum ab Ecclesia fuit S. Iob; Vnde etiam veritas eius historiae comprobatur.
16 Sancti veteris Testamenti publicè inuocantur in Litanijs.
17 Confert illorum descriptio in Martyrologio Romano cultum publicum praeseferens, quorum series per extensum ponitur.
18 Pro S. Iob praecipuè facit concessio Indulgentiarũ in die festiuitatis eiusdẽ.
19 Imagines, & statuae Sanctorum veteris Testamenti publicè in principalibus Vrbis Ecclesijs sunt expositae.
20 Easque colebant prisci fideles in caemeterijs, & cryptis, in quibus latebant, & praecipuè imaginem B. Iob.
21 In Basilica S. Felicis Nolae, teste S. Paulino, depicta fuit historia B. Iob.
22 Reliquiae Sanctorum veteris Testamenti publicè coluntur.
23 Sepulchrum, & sterquilinium B. Iob in magna veneratione habetur, & ad istud inuisendum peregrinationes instituuntur, teste S. Ioanne Chrisost.
24 Ab assumptione Moysis, & Eliae in gloriosa Christi transfiguratione, validum deducitur argumentum pro cultu Sanctorum veteris Testamenti.
25 In Monte Tabor tres constructae fuerunt Ecclesiae, teste Beda, iuxta votum Apostoli. Faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moysi vnum, & Eliae vnum.
26 Descenditur ad solutionem rationum pro negatiua sententia adductarum, quarum praecipua est descensus Sanctorum Patrum veteris Testamenti ad inferos.
27 Hic fuit communis nonnullis Sanctis, qui ab Ecclesia publicè coluntur, licet ad nouum Testamentum referantur, quia Christum viderunt.
28 Etiam Sancti veteris Testamenti quodammodò spectant ad nouum.
29 Sors, quae contigit aliquibus Sanctis videndi Christum, diuersificat quidẽ ipsos quoad excellentiam sanctitatis, non autem quoad conuenientiã cultus.
30 Nec etiam Machabaei Christum viderunt, & tamen ab Ecclesia coluntur.
31 Maxima proinde difficultas occurrit in assignanda ratione diuersitatis inter Sanctos Machabaeos, & alios veteris Testamenti.

32 *Quatuor rationes adducit Turrecremat.*
33 *Soluitur prima ratio.*
34 *Soluitur secunda.*
35 *Tertia, & quarta soluuntur, & ostenditur illas applicari B. Iob.*
36 *Alia ratio, ob quam decretus fuit cultus Machabæis, scilicet propter expressam notitiam Resurrectionis, conuenit pariter B. Iob.*
37 *Expenditur ratio principalis, scilicet descensus ad inferos, & declaratur dictum Turrecremata, quod Sancti Patres in Lymbo essent subditi pænæ, ostendendo, quod erant immunes à pæna sensus.*
38 *Priuatio temporalis visionis Dei vsque ad Christi descensum ad inferos non potest obstare concessioni cultus Sanctis veteris Testamenti.*
39 *Eneruatur argumentum petitum ex descensu ad inferos, ex quo possunt Sancti purgatorio igne cruciari, nec ob id eis cultus denegatur.*
40 *Sancti Patres in Lymbo erant Beati in spe, & fruebantur aliquali consolatione diuinitùs subministrata.*
41 *Respondetur rationi adducta per Augustinum Triumphum, quod non deceat Sanctos canonizare, qui Christum præcesserunt, ne causam præcedat effectus, explicando modum causalitatis meritorum, & passionis Christi.*
42 *Soluitur ratio adducta per Viguerium desumpta ex periculo idololatriæ, ostendendo illius cessationem.*
43 *Prout etiam respondetur periculo alliciendi Christianos ad ritus Iudæorū, quod timeri posset ob exhibitionem cultus publici Sanctis veteris Testamenti.*
44 *S. Iob non fuit Hebræus, sed Gentilis, & ideò ex cultu illi exhibito timeri non potest tale periculum.*
45 *Adducitur antiquus vsus Ecclesiæ circa consecrationem in pane azimo solùm intermissus ob hæresim Ebionæorum, asserentium retinenda esse cum Euangelio legalia Sacramenta, eaque cessante restitutus.*
46 *Prædicta quoque rationes vrgerent contra Machabæos, aliosque Sanctos, quibus Ecclesia cultum decreuit.*
47 *Vsus Ecclesiæ Latinæ abstinendi à concessione festiuitatis, & officij de præcepto pro Sanctis veteris Testamenti non obstat, quia non agitur de hac concessione, sed solùm de dedicatione Ecclesiæ, circa quam vsus eiusdem benè verificatur.*
48 *Non est prohibita impositio nominum Sanctorum veteris Testamenti in baptismo, imò illis promiscuè vtitur Ecclesia, licet non adeò frequenter.*
49 *Demonstratur B. Iob conuenire cultum publicum, cum eius sanctitas pluribus Sacræ Scripturæ testimonijs comprobetur, & præcipuè quàm efficax sit eius apud Deum intercessio.*
50 *Probatur narrationem B. Iob esse veram, & fidelem historiam, & inter Canonicas Scripturas receptam.*
51 *Referuntur encomia per Sanctos Patres tradita B. Iob.*
52 *Affertur opinio D. Augustini, quod B. Iob obtinuerit priuilegium beatificæ visionis, dum adhuc viueret.*
53 *Formula inuocationis B. Iob tradita per Origenem.*
54 *Firmato quod concessioni cultus publici nullum obstet canonicum impedimentum, expenditur, an ea expediat.*
55 *Sola erectio, & dedicatio Ecclesiæ nullam nouitatem, nec recessum ab Ecclesiæ vsu importare potest, imò conformitatem cum illo.*
56 *Ex prohibitione aperitionis Ecclesiæ iam constructæ magnum potiùs timeri posset scandalum.*
57 *Difficultas solùm esse posset, si ageretur de concessione Missæ, & Officij pro Ecclesia vniuersali, & festiuitatis de præcepto.*

Emi-

Eminentiſs.mi & Reuerendiſs.mi Dñi.

1 CONSTRVCTA per pium, & religioſum virum Fr. Saluatorem Margallum Ordinis Sancti Spiritus in Ciuitate Albani parua, & eleganti Eccleſia in honorem, & ſub inuocatione S. Iob, ortum fuit dubium, *An eius aperitio cum publica veneratione permittenda ſit*, eoque ad Sac. Congregationem delato, iuſſus meam proferre ſententiam, (quamuis materia ob ſui grauitatem, & grauiſſimorum Doctorum controuerſiam circa huiuſmodi cultum Sanctis veteris Teſtamenti exhibendum, maturiùs iudicium expoſcere videretur) dixi mihi magis placere affirmatiuam, & gauiſus fui, quod ab Eminentiſs. PP. præuia exactiſſima diſcuſſione, confirmata remanſerit cum decreto: *Remoueantur impedimenta*.

Cùm autem de ordine Sanctiſſimi quæſtio hæc denuò ſit examinanda, ex officio proponam authoritates, rationes, ac fundamenta pro vtraque opinione ad hoc, vt ijs benè cribratis, & expenſis Sacra Congregatio tutò decernere poſſit id, quod iuſtitiæ, ac conuenientiæ conſentaneum eſſe videbitur.

Pro parte itaque negatiua, quod ſcilicet Sanctis veteris Teſtamenti non ſit exhibendus cultus, & veneratio palàm, & publicè, potiſſimè vrgere vi-
2 debatur grauiſſimorum DD. opinio, & ſignantèr authoritas *Cardin. Turrecremat. in Can. Pronunciandum n. 15. de Conſecr. diſt. 3.* fundata in hac præcipua ratione, quod ideò Eccleſia Occidentalis ipſorum mortem non celebrat, quia cum tranſitus non fuerit glorioſus, ſed potiùs miſeria plenus propter deſcenſum ad inferos, non ſit gaudio excipiendus, & celebritate colendus.

Eandemque rationem longè anteà inſinuare viſus fuit *D. Bernardus in epiſt. 98.* vbi interrogatus, cur ſolùm de SS. Machabæis Martyribus feſtum celebraretur, ingenuè fatetur ſeſe adhuc non percepiſſe cauſam diuerſitatis, eamque libentiùs accepturum, quàm redditurum, profitetur tamen potiſſimam rationem, ob quam feſtiuitas Sanctorum veteris Teſtamenti non recolatur, eſſe ipſorum deſcenſum ad inferos, licet communem cum Machabæis, ita difficultatem promouendo: *Proinde ſi incongruum videtur cum gaudio recolere tranſitum, qui gaudij non fuit, caueatur & in iſtis.*

Auguſtinus etiam Triumphus de poteſt. Eccleſ. q. 17. art. 2. propoſita quæſtione, vtrum Papa debeat canonizare Patres veteris Teſtamenti, & adductis argumentis pro ſententia affirmatiua, quod ſcilicet cultus Canonizationis denegari non debet ijs, quorum doctrina, vita, & exemplum proponitur toti Eccleſiæ imitandũ, quales ſunt Patriarchæ, & Prophetæ, vt habetur *Iſaiæ 5.* & quorum ſanctitas nequit in dubium reuocari, vtpotè comprobata Spiritus Sancti oraculo in ſacris paginis per denominationem, Sanctitatem, & Beatitudinem importantem, & rursùs, quia Eccleſia illos eligit Oratores, & rogatores pro ipſa apud Deum, eiſque preces effundi iubet: In negatiuam ſententiam deſcendit ob hanc ſolàm rationem, quod cauſa ſemper præcedit effectum, & non ſubſequitur; Cauſa verò omnium Sanctorum fuit Chriſtus; adeòque nullus debet canonizari, qui Chriſti natiuitatem præceſſerit.

Conſonat *Viguer. in Inſt. Theologic. cap. 20. de virtute fid. §. 3. verſ. 15. fol. 107. à tergo in fin.* vbi propoſitam quæſtionem ita ſoluit, *eorum ta-*

men approbationem, & canonizationem non solemnizat Ecclesia, nec festa pro illis indicit duplici ratione: Primò ne videatur caremonias Iudæorum (quæ tanquam vmbra transierunt) obseruare: Secundò, quia cum illi non essent in tempore plenitudinis gratiæ, mors illorum non introducebat in Paradisum, sed in Lymbo recludebantur, adhucque in pœna peccati originalis detinebantur. Ideò mors illorum non poterat natiuitas denominari, sicuti mors Sanctorum post Christi Ascensionem decedentium, & propter illam causam eorum reliquiæ non venerabantur, ac etiam ne inducerentur Iudæi aliàs proni ad idololatriam, ideo (vt habetur in canonica D. Iudæ Apostoli) noluit Deus, corpus Moysis Iudæis manifestari, licet Diabolus procurare vellet, sed prohibitus fuit à Michaele: Nunc verò reliquiæ Sanctorum venerantur, eo quod sunt in gloria, & non in pœna, nec nunc est talis promptitudo, seù periculum ad idololatriam, sicut tunc.

Idipsum confirmat *Guglielm. Durand. in ration. Diuin. Offic. lib. 6. cap. 76. num.* 3. ibi — *Hinc est quod passiones Patrum veteris Testamenti, quia ad inferos descenderunt, non celebramus præterquàm Innocentium ex eo, quod in ipsis singulis Christus occisus est, & Machabæorum, & lib. 7. cap. 1. num.* 40. vbi quæstionem instituens, cur de Sanctis, quos per descensum ad inferos Christus liberauit, secumque in Cœlum duxit, festum non celebret Ecclesia, ita illam soluit -- *Respondeo, quod ideò non solemnizamus, quoniam ad inferos descenderunt, solemnizamus enim Sanctorum natalia, quod videlicet Cœlo nati sunt, vt præmissum est, non quod inferno.*

Ioann. Belett. in Diuin. Offic. explicat. cap. 128. agens de Sanctis, qui cum Christo surrexerunt, ait, idcircò non celebrari eorum memoriam, quia cum è vita excesserunt, descenderunt ad inferos, quæ non est festæ lætitiæ materia, sed luctus.

Neque prætermittenda videtur opinio *Guyett. in Heortolog. siue de fest. propr. Sanct. lib. 2. cap. 7. q.* 2. asserentis, se vix credere posse, quod in honorem Sanctorum veteris Testamenti fiant festiuitates.

Hunc etiam Ecclesiæ Latinæ morem abstinendi à celebratione festiuitatis Sanctorum veteris Testamenti, sequendo authoritatem Cardinalis Turrecrematę considerat *Ricciull. lucubrat. Eccles. lib. 6. cap. 7. de Sanct. vet. Testam.* dicens ab Ecclesia solùm excepta fuisse festa Sanctorum Innocentium, Ioannis Baptistæ, & Machabæorum.

Matta quoque de Canonizat. Sanct. part. 4. cap. 3. postquam à num. 8. *ad* 16. retulit vtramque opinionem, concludit *num.* 17. *vers. quibus attentis*, non esse contemnendam sententiam Augustini de Ancona, vtpotè fundatam in authoritate D. Augustini allegata *num.* 12. dicentis *in lib. de Symbol. super illo Psalm.* 92. *Domum tuam decet sanctitudo Domine*, nullius sanctitatem ab Ecclesia solemnizari, priusquam Domus Sanctitatis fundaretur, & *num.* 18. respondet argumento petito ab exemplis Sanctorum Ioannis Baptistæ, Zachariæ, Iosephi, Simeonis, Elisabeth, & Annæ Prophetissæ, quod quia viderunt Christum Dominum in carne iam natum, eumque vti Redemptorem humani generis adorauerunt, potiùs ad nouam legem gratiæ pertinere dicendi sunt, & addit *num.* 19. cum Petro de Natalibus Kalen. August. quod in Ecclesia Orientali celebrantur festa de Sanctis vtriusque Testamenti, non autem in Occidentali, præterquam de Innocentibus, & Machabæis propter peculiares rationes ex Turrecremata transcriptas, & inferiùs suo loco recensendas in ipsarum solutione.

Rursùs non apparet alicui ex Sanctis veteris Testamenti concessum ab Ecclesia

3 clesia fuisse cultum publicum, saltem per indictionem festiuitatis, & per
concessionem vniuersalem officij de præcepto, cuius indultum absque
Oraculo Sedis Apostolicæ de iure nouo obtineri non posse est extra con-
trouersiam, vt dicit *Rainaud. tom. 15. Heteroclit. spiritual. sect. 3. punct. 5.*
num. 15. pag. 288. dicens num. 16. vers. quia igitur, sapientèr Ecclesiam
non indixisse festiuitates Sanctorum veteris Testamenti, nec eis diuina
officia concessisse, & concludens *num. 17.* in hæc verba -- *Quanta por-*
rò arrogantia indicium est, sapientiorem se existimare moderatoribus vni-
uersæ Ecclesiæ, qui per tot sæcula, quamuis illa ipsa nouandi motiua, quæ
istis possunt occurrere, non ignorauerint, consultò tamen abstinuerunt his fe-
storum, & diuinorum officiorum indictionibus? Non est reuerà hæc pietatis
species commendatione digna:

Sed neque cultum priuatum exhiberi solitum esse Sanctis veteris Testa-
menti ex eo colligi potest, quod vel improbatus sit, vel saltem ab Ec-
4 clesia non receptus vsus imponendi eorum nomina infantibus in Ba-
ptismo, quod est argumentum deuotionis, & propensionis erga ipsos,
vt testatur *Nicephor. lib. 6. Hist. cap. 22.* ibi -- *Multi enim propter suam in*
Apostolos propensionem, & affectionem nomina eorum liberis suis impone-
bant -- & idem repetit *Casal. de veter. Eccles. rit. cap. 5. de Baptism. pag.*
37. vers. Mos dandi nomina. Prohibitio autem assumendi nomina vete-
ris Testamenti desumitur ex *Concil. Nicen. can. 30.* iubente Christiano-
rum nomina in Baptismo imponi, ibi -- *Imponanturque nomina Christia-*
norum in Baptismo, dum legitur Scriptura, & baptizantur in nomine San-
ctissimæ Trinitatis semper colendæ, & adorandæ. Et saltem negari non po-
test, rarissimum esse in Ecclesia horum nominum vsum.

Ex his igitur Reuerendiss. Suffraganeus Albanen. non absque valido, &
probabili fundamento dubitare potuit, an ab eo permittenda esset Ec-
5 clesiæ præfatæ aperitio, præsertim non exhibito sibi aliquo decreto,
seù indulto Apostolico.

Verùm diligenter examinatâ materia, præualere mihi visa sunt fundamen-
ta, quibus innititur affirmatiua sententia, quod nempè cultus publicus
6 tutò permitti, atque concedi possit Sanctis veteris Testamenti, potissi-
mè verò S. Iob.

Quidquid enim sit, An SS. PP. veteris Testamenti conueniat solemnitas
formalis Canonizationis, quam illis non congruere, respondet *Viguer.*
7 *loc. cit.* ex validissima ratione, *quia qui à Deo tanquam Superiore est cano-*
nizatus, & approbatus, non eget ab hominibus approbari, siue canonizari,
Sancti enim multi, qui ante Incarnationem Christi piè vixerunt, fuerunt
in pluribus Scripturæ locis approbati, & maximè Ecclesiast. 44. & aliquorum
approbationem recitat Apostolus Hebr. 11. Ecclesia verò eorum sanctitatem,
& exemplaritatem proponit imitandam, & eorum orationibus se commendat
in generali. Reducendo quæstionem ad cultum publicum, qui est velu-
ti effectus canonizationis, nulla profectò ratio suadere efficaciter po-
test, illum non posse permitti SS. PP. veteris Testamenti. Plures ve-
8 rò, eæque fortissimæ permissionis congruentiam manifestè ostendunt,
quas latè, atque eruditè cumulauit Reuerendissimus Archiepiscopus
Tarsensis in sua doctissima, & validissimis argumentorum, atque au-
thoritatum præsidijs munita allegatione data in Congregatione præte-
rita.

Præ cæteris autem potissimùm vrgere videntur rationes adductæ per Au-
gustinum Triumphum, & Viguerium *locis citatis*, quod scilicet ijs dene-
9 gari non debeat solemnis cultus, quorum ineffabili Sacræ Scripturæ te-
stimo-

ſtimonio ſanctitas comprobatur, & ad quorum imitationem hos inui-
tat, atque ſtimulat Eccleſia, & ſupplici deprecatione patrocinium apud
Deum exorat, quas etiam latiſſimè Sanctorum Patrum, & probatiſſimo-
rum Scriptorum authoritate ad propoſitum noſtrum confirmat *Lezzan.*
conſult. 3. à num. 100. ad fin. vbi ex ijſdem comprobat poſſe S. Eliæ cul-
tum publicum concedi.

Cùm itaque vitæ ſanctitas tribuat ius ad publicum cultum, & permiſſio il-
lius non ſolùm ob glorificandam Sanctorum memoriam, ſed ob eorum
10 imitationem promouendam fuerit ab Eccleſia introducta, vt ſcilicet
imitari non pigeat, quos celebrare delectat, vt latè probat *Raban.*
Maur. de Inſtit. Cleric. lib. 2. cap. 43. de feſtiuit. Sanct. inter tract. diuerſ.
de Diuin. Offic. pag. 297. Caſal. de veter. Eccleſ rit. cap. 60. pag. 238. lit. A.
verſ. Porro, adducens verba epiſtolæ relatæ ab *Euſebio lib. 4. cap. 15.* ibi --
eorum memoriam, qui priùs paſſi fuerant, celebramus, vt ſequentium animi
ad Prædeceſſorum viam exemplis inſignibus excitentur, & *S. Gregor. Na-*
zianzen. in oratione de Machabæis col. 2. in princ. ideò eorum celebrita-
tem recoli aſſerens, *vt gloriam conſequantur, qui laudes eorum exponant,*
ac virtutem eorum æmulentur, eiuſmodi nimirùm commemoratione quaſi ſti-
mulis quibuſdam ad earumdem rerum ſtudium excitari. Idemque expreſsè
profitetur fel. rec. Gregorius XIII. in Conſtitutione ædita ſuper appro-
batione Martyrologij Romani, ibi -- *Habet enim Sanctorum innocentiæ,*
charitatis, fortitudinis, cæterarumque virtutum commemoratio, ſtimulos
quoſdam acerrimos, quibus tunc maximè inuitamur, cum illorum propoſitis
exemplis noſtram deſidiam agnoſcimus, quàmque procul ab illorum laude, &
perfectione abſumus, cogitamus. Et hoc argumento vtitur *idem Lezzan.*
d. conſult. 3. num. 85. circa fin. Nèc immeritò *Raimaud. tom. 15. Heteroclit.*
ſpiritual. punct. 5. num. 9. in fin. pag. 285. miratur, cur de Sanctis veteris
Teſtamenti Eccleſia eò modo non celebret feſta, ſicut de Sanctis Teſta-
menti noui, ibi -- *Quare cum inter motiua, quæ impellunt ad indicendum*
alicuius Sancti cultum feſtiuum, attendatur præſertim ad ſtimulum virtutis,
& ſanctitatis ex Sancti illius memoria admouendum fidelibus, mirum eſſe
videtur, cum tàm luculenta ſint virtutum exempla in Sanctis Chriſto ante-
rioribus, quorſum ſint ab Eccleſia abſque ſolemni cæteris Sanctis honore præ-
termiſſi. Cumque etiam cultus publicus ijs denegari non poſſit, qui-
11 bus Eccleſia preces effundit pro ipſorum obtinendo patrocinio; ad eo-
rum ſiquidem opem promerendam, & imitationem promouendam San-
ctorum feſta eſſe inſtituta, monet *D. Auguſt. lib. 2. contra Fauſt. cap. 21.*
ibi -- *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate conce-*
lebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, at-
que orationibus adiuuetur, & *Euſeb. Alexandrin. in homil. de Sanct. colend.*
ibi -- *Ob hanc cauſam præcepit nobis memorias Sanctorum celebrare, vt ac-*
ceptis hymnis, & auditis laudibus benignum Deum exorent, vt preces noſtras
caducas admittat -- Conſequentèr dicendum eſt eius indultum potiſſimè
12 etiam conuenire Sanctis Patribus veteris Teſtamenti, quorum ſanctita-
tem, Diuini Spiritus oraculo comprobatam, imitandam fidelibus propo-
nit Eccleſia, & quorum præſidium exorat, atque memoriam celebrat
etiam ex Diuino præcepto *Eccleſiaſt. 44.* ibi -- *Laudemus viros glorioſos,*
& parentes noſtros in generatione ſua, vt obſeruat *idem Lezzana d. con-*
ſult. 3. num. 129. referens, eorum opem publicè inuocari in Litanijs, &
Laudes recoli in Cantico Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini, quod
etiam notat *Rainaud. loc. cit. num. 2.* concludens -- *Beatitas ergo horum*
Sanctorum eſt in Eccleſia prorsùs extra controuerſiam; atque adeò non poteſt

per

per eorum Beatitatem Bare, quominus cultu cœlitum impendi solito honorentur a fidelibus in
vniuersa Ecclesia .

Plurimùm etiam confert consuetudo Ecclesiæ Orientalis , in qua celebrari festiuitates
Sanctorum veteris Testamenti communitèr affirmant contrariæ sententiæ Sectatores ,
cumque in hoc eiusdem Ecclesiæ vsus non fuerit à Latina correctus, & improbatus ,
13 nulla videtur assignabilis ratio diuersitatis, ob quam eidem Latinæ Ecclesiæ permis-
sum censeri non debeat,quod in Orientali non improbatur:Vna quippe,& indiuisibi-
lis est Ecclesia Dei,vt probat *Leo Allat.in lib.de vtr.Eccles.Occidental. & Orient. perpet.*
consens.c.1. n.5. & licet quoad ritum inter Græcam, & Latinam aliqua diuersitas in-
tercedat, adhuc tamen per hoc non excluditur perfecta vnitas quoad fidem , eiusque
dogmata, vt respondet *idem Allat. lib.3. cap. 12. per tot.* & signantèr *n. 1. in fine* , ibi :
Hanc de ritibus, & dogmatibus differentiam ideò proposuimus,vt multos ab errore leuare-
mus, qui Orientalem, & Occidentalem, Græcam , & Latinam Ecclesiam audientes , duas sibi
Ecclesias toto genere diuersas animo fingunt, alteram alteri dissimillimam , nam si linguam ,
& ritus excipias, in fide, vna eademque est, neque in vna offendes firmum, approbatumque ,
quod non in alia eodem etiam firmitatis, ac dignitatis sub vno capite sit loco : Proinde hoc
argumento desumpto ex vsu Ecclesiæ Græcæ ad probandam congruentiam conces-
sionis cultus pro S.Elia vtitur *Lezzan.d.consult.3.n.85. & Rainaud. loc.cit.n.12.& seq.*

Omnemq; difficultatem tollit vsus ipsius Ecclesiæ Latinæ, quæ nedum generalitèr reco-
lit memoriam, & inuocat auxilium Sanctorum veteris Testamenti,sed etiam peculia-
14 ritèr ipsorum festiuitatem celebrat ; Et signantèr in pluribus, & primarijs Italiæ Ci-
uitatibus reperiuntur Ecclesiæ, & Altaria ipsis,& præcipuè S. Iob dicata , nempè Ve-
netijs,Cremonæ,Bononiæ, Ferrariæ, Fauentiæ, Senis, & Pisauri. Cumque Eminentis.
Episcopus Lucanus a me requisitus fuerit de suo voto,cum sit vnus ex Eminentissimis
PP. huius S. Congregationis, per literas plenè respondit pro affirmatiua pluribus va-
lidissimis rationibus,& narrat, quod in visitatione Diœcesis reperit Ecclesiam sub in-
uocatione S.Iob in Terra Pruni Vicariatus Petræ Sanctæ , & plura Altaria in eius ho-
norem constructa in varijs Ecclesijs Caferonianę , quodque Populus illius Regionis
maximam habet deuotionem , & venerationem erga ipsum . Aderat etiam Cæsenæ
Ecclesia in honorem S. Iob , de qua traditio est quendam Fratrem S. Francisci , propè
cuius Conuentum sita erat,eam destrui curasse,statimque lepra affectum,diuque excru-
ciatum miserè occubuisse , vt refert *Reuerendiss. Tarsen. in præcitata sua allegat. circa*
fin. Et de hoc Ecclesiæ Latinę vsu tradunt *Durand. in ration. diuin. offic. lib. 7. cap. 1.*
n.41. & de Sancto Elia probat *ibidem Lezzan.* & de S. Iob,in cuius honorem Venetijs
constructa fuit Ecclesia, dicunt *Castellan. de Canoniz. q.4. n.58. Pannin. in relat. S.Bo-*
nauenturæ circa fin.princip.inter opuscula eiusdem S.Bonauenturæ tom.2. pag.381.vers.quid
autem Sancti veteris Testamenti, dicens, quod quidquid teneant *Bellamer. & Augustin.*
Triumph. videtur probari posse contrarium ex publica veneratione multorum , inter
quos præcisè recenset S. Iob , sequitur *Contilor. de Canonizat. cap.12. nu.12. & Matta*
eodem tract. par.4. cap.3. n.15. Lezzan. d.consult.3. n.87. & 88. cum seqq.Belet.in expli-
cat. diuin.offic. cap.28. & Rainaud. supra cit. tom.15. Heteroclit.spiritual. punct.5. nu. 1.
15 *pag.282. & n.11. pag.285.* Et quod S. Iob ab antiquissimo tempore habuerit ab Ec-
clesia consimilem cultum publicum non minus ac alij Sancti, per indictionem festiui-
tatis , Templorum erectionem , & Altarium constructionem refert *Titelman. in solut.*
dub. ante paraphrasticam elucidationem in eius librum , quem in Conuentu Fratrum Mi-
norum Louanij publicè explicauerat vsque de anno 1504. vt habetur in fine operis ,
eiusque verba , quæ tanquam notabilia propter temporis antiquitatem refero , sunt
ista — *Accedit ad authoritatem scripturæ authoritas Ecclesiæ , quæ viro Sancto Iob consimi-*
lem cum alijs viris Sanctis , & Deo dignis festum diem constituit , Templa quoque erigit , &
Aras , vbi ad Dei gloriam eius inuocetur pro miseris patrocinium,extruit,ac vota fieri perin-
dè, ac cæteris Diuis cum Deo regnantibus decreuit , quæ nequaquam ita fieri permitteret , si
non in rerum natura verè aliquando subsistisset . Estque ponderandum, quod dictus Au-
tho. tali argumento vtitur ad comprobandam veritatem historiæ B. Iob , quæ à Iu-
dæis controuertebatur .

Maximi quoque roboris videtur , quod clar. me Cardinalis de Berulle , vigore facultа-
tis obtentæ à fel. rec. Paulo V. 6. Idus Maij anno 1613. dandi modum , & formam
Ka-

Kalendario, ac Breuiario Congregationis Oratorij Domini Iesu, præuio tantæ rei examine in comitijs generalibus, diuersis locis, & temporibus habitis, ac de Ordinariorum expressa licentia; in eodem Kalendario ad diem 10. Maij adnotari fecit Officium cum Missa de S. Iob, ac etiam de S. Anna Prophetissa ad diem primam Septembris, & de S. Simeone Sene ad diem 11. Octobris, & de S. Abrahamo ad diem 12. eiusdem mensis, & in Breuiario leguntur excusa sub dictis diebus eadem Officia, cum lectionibus proprijs, & orationibus de communi sub ritu semiduplici, & indicatur Missa de quolibet ex prædictis Sanctis dicenda paritèr de communi, vt ex libello impresso Lutetię Parisiorum anno 1653. in quo præcipuè videri potest Præfatio, vbi indicatur citatum diploma Pauli V. & respondetur obiecto, quod vigore decreti huius Sac. Congregationis 8. Aprilis 1628. addi nequeant etiam Kalendarijs proprijs alia officia, ex quo scilicet potiùs adsistat limitatio in eodem decreto adiecta, quando (vt hìc) præcessit Sedis Apostolicæ licentia. Cùm igitur hoc fuerit factum cum tanta maturitate à Cardinali adeò insignis pietatis, & singularis doctrinæ, necnon pręuia Sedis Apostolicæ authoritate, ac discussione in diuersis capitulis generalibus, & obtenta Ordinariorum Galliæ expressa licentia, controuerti profectò nequit, quod etiam in Ecclesia Occidentali vigeat huiusmodi cultus publicus erga S. Iob, & alios Sanctos veteris Testamenti.

Vrget insupèr, quod in Cœremoniali Fontisebraldi anno 1461. authoritate Gulielmi Parisien. Episcopi delegati à Pio II. ad visitandum, corrigendum, & reformandum dictum Monasterium, & Ordinem, reperitur officium S. Abrahę, vt refert *Guyett. in Heortolog. lib. 3. cap. 16. q. 4.* vbi indicat modum componendi etiam officia pro S. Moyse, pro S. Dauide, & pro S. Iob.

Considerari paritèr multum meretur veluti species cultus publici, qui exhibetur Sanctis veteris Testamenti, eorum inuocatio in Litanijs, quæ dicuntur pro commenda-
16 tione animæ, vt præ alijs aduertunt *Castellan. de Canonizat. cit. quæst. 4. n. 88. Lezzan. d. consult. 3. n. 102. cum seqq. Guyett. in Heortolog.* siuè *de fest. propr. lib. 1. cap. 5. quæst. 8.* vbi plura refert exempla, *Rainaud. supracit. tom. 15. nu. 15. pag. 287.* vbi redarguens Caluinum negantem Sanctos veteris Testamenti inuocari in Ecclesia Christiana, sic ait -- *Quo enim morbo grauabantur illi aures, cum recitari audiebat Litanias nostras, & in eis inuocari omnes Sanctos Patriarchas, & Prophetas?* & addit cum *Seratio lib. 2. litan. quæst. 17.* quod in Litanijs, quibus commendatur anima, inuocantur Sanctus Abel, Sanctus Abraham, & omnis chorus Iustorum, quodque Sanctum Ionam inuocauit Sanctus Hieronymus. Et Cyrillus Hierosolymitanus Sacram Sinaxim describens *Catech 5.* dicit, Sacerdotem memoriam in ea facere, primum Sanctorum Patriarcharũ, deinde Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum, vt Deus illorum orationibus, & deprecationibus suscipiat preces nostras. Idemque post eum tradunt *Cabassut. in notit. Concilior. in appendic. ad sextam Synod.* quæ est dissertatio de Dypticis Ecclesiæ *vers. præter eorum fidelium Dyptica, & Cardinal. Bona rerum liturgicar. lib. 2. cap. 12. pag. 392. in fine.* Magnique ponderis ad euincendum, licitum, & debitum esse cultum publicum Sanctis veteris Testamenti, videtur authoritas *D. Augustini de Sanctis serm. 22. & de S. Ioanne Baptista serm. 4. in princ.* vbi proposita quæstione, cur Natalem, quo natus est ex vtero Ioannes potiùs celebramus, quàm aliorum Prophetarum, vel Patriarcharum, sic respondet -- *Recordemur, & Prophetas, recolamus Patriarchas, nati sunt homines, ætatis accessu pleni Spiritu Sancto Christum prophetauerunt. Nati sunt, vt postcà prophetarent. Ioannis autem Dominum Christum ipsa Natiuitas prophetauit, quem conceptum ex vtero salutauit.*

Confert etiam potissimè SS. veteris Testamenti descriptio in Martyrologio Romano, vt in eo videri potest, sed pro minuendo labore ponitur Cathalogus distinctus per singulos menses, videlicet, Ianuarij die 14. S. Malachiæ, & die 15. SS. Abacuch, & Micheę. Februarij die 13. S. Agabi, de quo prætereà mentionem habet S. Lucas in actis Apostolorum: Martij die 31. S. Amos: Aprilis die 10. S. Ezechielis, ad cuius sepulchrum orationis causa multi confluere consueuerunt, vt in eodẽ Martyrologio habetur, & *Baron. in not.* aduertit cũ S. Epiphanio, quod quando tanta frequentia cõcurrit, formidãt Caldeiæ metuunt, ne auferatur, qua propter egredientes comitantur, & deducũt: Maij die

prima

prima S. Hieremiæ, ad cuius pariter ſepulchrum, vt refert idem S. Epiphanius, fideles ſupplicare conſueuerunt, indeque ſumpto puluere morſibus aſpidum medentur, & die 10. noſtri S. Iob: Iunij die 14. S. Eliſei, cuius ſepulchrum dæmones perhorreſcere S. Hieronymus ſcribit: Iulij die prima S. Aaron primi Sacerdotis Leuitici Ordinis, die 4. SS. Oſeæ, & Aggei, die 13. SS. Ioelis, & Eſdræ, die 16. S. Iſaiæ, die 20. S. Eliæ, die 21. S. Danielis: Auguſti die 20. S. Samuelis, cuius ſacra oſſa, vt B. Hieronymus ſcribit, Archadius Auguſtus Conſtantinopolim tranſtulit, & Iuſtinianus Imperator in eius honorem templum erexit, vt ex *Procop. notat Baron. ibid. litt. B.* Septembris die prima SS. Ioſue, Gedeonis, & Annæ Propheti ſſæ, die quarta Sancti Moyſis legislatoris, die 6. Sancti Zachariæ Prophetæ, & die 21. Sancti Ionæ: Octobris die 9. S. Abrahæ Patriarchæ, & omnium credentium Patris: Nouembris die 19. Sancti Abdiæ Prophetæ: Decembris die prima Sancti Nahum: die 3. S. Sophoniæ; die 16. trium SS. Puerorum Ananiæ, Azariæ, & Miſaelis: Et demum die 19. S. Dauidis. Deſcriptionem autem in Martyrologio Romano importare cultum publicum latè probaui in meo voto exarato de ordine Sac. Congregationis ſuper hoc articulo, & addo poſt inibi ſcripta *Granad. de fide tract. 7. diſput. 3. ſect. 3.* exiſtimantem (ſunt eius verba) *cenſeri debere canonizatos ab vniuerſali Eccleſia, & Summo Pontifice omnes illos, qui in Martyrologio Romano continentur, etenim de illis tanquam de veris Sanctis fit mentio, & ſolemnis memoria in vniuerſali Eccleſia, & Summus Pontifex id præcipit fieri, vt patet ex Motu proprio Gregorij XIII. &c. Et Nieremberg in opuſcul. de Sanctitat. inſtitut. feſt. Concept. Beatiſſimæ Virgin. §. 7.* addit *Neque poteſt negari authoritatem aliquam, & non paruam accreſci in ratione Sanctitatis his, qui in Albo ſet Sanctorum numerati ſunt.* Et hoc pariter argumento deſcriptionis in Martyrologio ad euincendum cultum publicum Sanctis veteris Teſtamenti ab Eccleſia vniuerſali præſtitum vtuntur *Lezzan. ſæpè cit. conſult. 3. n. 84. Rainaud. in Heteroclit. ſpiritual. cit. punct. 5. num. 2. & Guyett. de feſt. propr. lib. 1. cap. 5. quæſt. 8.* vbi quærens, an in honorem Sanctorum veteris Teſtamenti Patriarcharum, & Prophetarum conueniens ſit dicari Eccleſias, quarum ſint ipſi Patroni, ſic ait — *Abſolutè nihil vetat, cum & æque Sancti ſint, ac alij, & cultus publici partes aliæ omnes perinde atque alijs ab Eccleſia deferantur; ſiquidem, & eorum plurimi in Martyrologio expreſſe nomine recenſentur.*

Et quoad S. Iob comprobatur Eccleſiæ vſus ei permittendi cultum publi-
cum nedùm ex erectione Templorum in diuerſis Ciuitatibus, vt fuit di-
18 ctum §. *Omnemque difficultatem tollit.*; ſed etiam ex conceſſione Indul-
gentiarum vniuerſis Chriſti fidelibus in die feſto ipſius Eccleſiam viſi-
tantibus, & ſignanter in Ciuitate Bononiæ vigore litterarum fæl. record.
Gregorij XIII. ac in Ciuitate Ferrariæ, vt ex literis eiuſdem Pontificis
15. Martij 1577. & 13. Maij 1579. Et pro hac ipſa Eccleſia erecta in
Ciuitate Albani adeſt ſimilis conceſſio Sanctiſſimi Domini Noſtri, vt ex
literis ſignatis, & ſubſcriptis ſub die 4. Maij proximè præteriti.

Poſſunt etiam conſiderari tot imagines, ac ſtatuæ Sanctorum veteris teſta-
menti publicè in principalibus Eccleſijs Vrbis expoſitæ, quæ profectò
19 publicam venerationem, & cultum important, vt latè probat *Caſtellin.*
de certitud. glor. Sanct. pag. 136. & ſeq. Et ſanè hic mos exhibendi cul-
tum Imaginibus Sanctorum veteris Teſtamenti fuit in Eccleſia Dei; &
ſignanter in Vrbe antiquiſſimus, vt teſtatur P. *Aring. in ſua Roma ſubter-*
20 *ranea tom. 2. lib. 5. per tot.* vbi agens de cœmeterialibus imaginibus oſten-

dit

& consolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis, quæ illos Ægyptij affligebant, minimè valeret: vehementes illos, atq; terribiles Iob dolores pro consolatione illis enarrauerit, nec non in scriptura eos ponens; cùm adhuc essent recentiores, illi populo dederit, vt per cognationes, & tribus suas, hoc legentes, & vehementes, ac terribiles illos Beati illius viri dolores audientes, inuicem se consolarentur, & cum patientia, atque gratiarum actionibus mala, quæ eos circumdederant, sufferrent, & vt bonam remunerationem Domini, quam Iob post tolerantiam largitus est, audientes, etiam ipsi liberationem sperarent, & beneficia beata mercedis laborum suorum expectarent. Istamque Origenis traditionem tanquam memoratu dignam refert *Titelman. in sæpè cit. solut. dub. ante paraphrastic. elucidation. in lib. Iob circa fin.* Et vtraque profectò ratio nimis probaret, excluderet quippè SS. Pontifices, & Confessores à merito, & iure consequendi festiuitatem, quod tamen commune esse non minùs ipsis, quàm Martyribus, concludit idem *D. Bernard. in cit. Epist. 98. in fine*, ibi — *Nec putemus solos Martyres esse dilectos; cùm recolamus dictum de Lazzaro: Lazzarus amicus noster dormit, denique beati mortui, qui in Domino moriuntur: Non soli, qui pro Domino, sicut Martyres, sed qui in Domino moriuntur, sicut Confessores, profectò Beati sunt.*

Quinimò ab exemplo Machabæorum validissimum desumi posse argumen-
tum pro S. Iob confirmari potest authoritate Ruberti Abbatis *lib. 9. de*
36 *virtut. verb. Dei cap. 32.* asserentis, quod ideò Sanctis Machabeis ab
Ecclesia indicitur cultus, propter expressam resurrectionis notitiam: Vndè
cùm nullus ante Christum adeò clarè de resurrectione prophetauerit,
sicut S. Iob, dum dixit: *Credo, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursùs circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*, vt obseruat *S. Hieron. in Epist. 103. ad Paulin cap. 7.* ibi — *Et vt de cæteris sileam, resurrectionem corporum sic prophetat, vt nullus de ea, vel manifestiùs, vel cautiùs scripserit*; ob eamdem rationem cultus ipsi denegandus non videtur.

Quapropter cùm rationes diuersitatis per Turrecrematam adductæ non
videantur sufficientèr soluere propositam difficultatem, considerandum
37 remanet, an eiusdem ratio, cui & cæteri ferè omnes innituntur, scili-
cèt descensus Sanctorum Testamenti veteris ad Inferos, impedire valeat,
quominùs ipsorum memoria festiua celebritate tutò recoli ab Ecclesia
possit, hæc enim præcipua est, quam omnes negatiuæ sententiæ secta-
tores assignant. Et sanè difficultas esset potissimè considerabilis, si subsisteret, quod asserit Turrecremata, nempè quod *quia adhuc apertus non erat introitus ad æternam gloriam, Sancti descendebant in Lymbum, vbi subditi erant pœnæ, non gloriæ, & ideò de mortibus eorum Ecclesia occidentalis festiua gaudia non celebrat.*

At huiusmodi assertio non videtur tuta, si pœna, cui subditi fuerunt antiqui Patres in Lymbo, sumatur pro pœna sensus, scilicèt pro cruciatibus, atque doloribus afflictiuis. Repugnat etenim Sacræ scripturæ affirmanti, Sanctorum animas ante Resurrectionem Christi requieuisse in sinu Abrahæ, vbi profectò dolores, & cruciatus esse non poterant, vt clarissimè respondet *D. Thom. in 3. parte quæst. 52. art. 2. ad 4.* ibi — *Dicendum, quod sinus Abrahæ potest secundum duo considerari, vno modo tantùm secundum quietem, quæ ibi erat à pœna sensibili, & quantum ad hoc non competit ei nomen inferni, nec sunt ibi aliqui dolores. Alio modo potest considerari, quantum ad priuationem gloriæ speratæ, & secundum hoc habet rationem inferni, & doloris, & ideò nunc dicitur sinus Abrahæ illa requies*

Beatorum, non tamen dicitur infernus, nec dicuntur in sinu Abrahæ esse dolores. Idemque repetit *in art.5. corpor.* vbi asserit, quod *per hoc Sancti Patres detinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloriæ propter peccatum primi Parentis aditus non patebat, non autem per hoc, quod ibi cruciarentur; Cruciatus enim est pena peccati actualis, non etiam originalis*; Et in responsione ad primum, vbi soluens dictum Sancti Augustini confutantis errorem eorum, qui existimabant Sanctos Patres in inferno doloribus cruciari, scilicèt se adhuc non inuenisse, quid Christus, cùm ad inferna descendit, contulerit iustis, qui in sinu Abrahæ erant, à quibus secundum beatificam præsentiam suæ Diuinitatis nunquam recessit, respondet, quod licèt nihil contulerit quoad solutionem à doloribus pœnæ, quos in sinu Abrahæ, hoc est, in illa Beatorum requie ante liberationem viros iustos, & Sanctos non pertulisse credendum est, contulit tamen eis quantum ad adeptionem gloriæ. Et in *3. par. quæst. 100. art.4.corp.* soluens quæstionem, an Lymbus Patrum sit idem, quod sinus Abrahæ, dicit — *Et ideò illa requies, quæ hominibus post mortem datur, sinus Abrahæ dicitur. Sed animæ Sanctorum post mortem non omni tempore eamdem quietem habuerunt, quia post Christi aduentum habent plenam quietem, diuina visione perfruentes; Sed ante Christi aduentum habebant quietem per immunitatem pœnæ, sed non habebant quietem desiderij per consecutionem finis. Et ideò status Sanctorum ante Christi aduentum potest considerari, & secundum id, quod habebat de requie, & sic dicitur sinus Abrahæ, potest etiam considerari quantum ad id, quod eisdem deerat de requie, & sic dicitur Lymbus inferni.* Hanc paritèr sententiam confirmat *D. Bernard. serm.4. in fest. omnium Sanctor.* paulò post initium, ibi - *Sed prouiderat eis Dominus in inferno ipso locum quietis, & refrigerij, Chaos magnum firmans inter Sanctas illas animas, & animas impiorum; Quamuis enim vtraque in tenebris essent, non vtraque erant in pœnis: Sed cruciabantur impij, Iusti verò consolabantur. Quod autem in tenebris essent B. Iob testimonio didicimus, qui se quoque in locum tenebrosum, & opertum mortis caligine perhibebat iturum, Hunc ergò locum obscurum quidem, sed quietum, sinum Abrahæ Dominus vocat, pro eo, vt arbitror, quod in fide, & expectatione quiesceret Saluatoris.* Confert etiam *Casal. de veter. Eccl. ritib. cap.96. de Lymb. Sanctor. Patr.* asserens, omnes consentire, illum fuisse sinum Abrahæ, in quo Lazzarus quiescebat apud *Luc. cap.16.* Idemque comprobat *P. Capisucchus contron.29. de martyr. quæst.2. §.23. vers. quare martyrij, & vers. obseruandum tamen*, ibi — *Sanctorum animæ ad plenum purgatæ &c. ante Christi aduentum aliquam requiem habebant, quatenùs erant immunes à tormentis, licèt non haberent requiem desiderij per consecutionem finis, quia adhuc erant in tenebris, desiderantes videre faciem Dei, nondùm autem eam videntes. Quatenùs ergò status ille habebat aliquid de requie, dicebatur sinus Abrahæ, quia ad illum perueniri non poterat, nisi merito fidei; Fidelium autem Pater est Abraham. Quatenùs verò deerat aliquid de requie dicebatur infernus, & Lymbus, siuè extremitas inferni.*

Quod si ratio impeditiua cultus, & festiuitatis ex eodem descensu ad inferos
desumatur ex eo, quia Sancti Patres in Lymbo detenti remanerent
38 temporalitèr obnoxij pœnæ damni, hoc est priuationi beatitudinis, &
visionis Dei facie ad faciem ob dilationem gloriæ, vsque ad Christi descensum, qui vectes ferreos confringendo, vinctosque liberando de domo carceris, illos in beatam Regionem, quæ hactenùs clausa fuerat, introduceret. Adhùc huiusmodi rationem non obstare concessioni

cultus validissimè probari potest exemplo Machabæorum, aliorumque Sanctorum Patrum, Ioannis Baptistæ, Zachariæ, & similium, quorum festiuitates celebramus, quamuis post obitum non fuerint statim possessionem beatitudinis adepti, ac etiam exemplo S. Eliæ; quem utpotè viatorem beatifica visione non frui constans est, atque communis PP. & Scriptorum sententia, quam validissimis rationibus tuetur *P. Capisucch. controu. 20. de illis, qui in via Deum viderunt* S. 5. *pag.* 547. & adhuc eius celebritatem recoli posse, latissimè tuetur *Lezzan. d. consul. 3. à num. 100. ad fin.* referens *num. 119.* opinionem probatissimorum Theologorum asserentium, animas in Purgatorio existentes posse à fidelibus inuocari, & illarum opem ipsis esse proficuam, quod indubitantèr firmat de Sanctis Patribus in Lymbo detentis *num. 120. & num. final.* asserit, quod rationibus prædictis à Sacra Congregatione diligentèr recognitis, & expensis, sancitum fuit Officium S. Eliæ, de quo erat controuersia, celebrari posse à Patribus suæ Religionis. Argumentum autèm desumptum ab exemplo cultus exhibiti S. Eliæ probare à fortiori ob prædictam rationem monet *Rainaud. loc. cit. num. 12 pag. 286.*

Idemque *Rainaud. num. præcedenti* ad ostendendam debilitatem præfati fundamenti desumpti ex descensu ad inferos, obseruat ex illo resultare
39 necessitatem probandi Sanctos omnes recto tramite post obitum in Cœlum euolasse absque eo, quod per modicum, vel minimum tempus Purgatorij pœnas experti sint, quod profectò non est ab Ecclesia definitum, & vix credibile est: Imò contrarium suadere videtur id, quod D. Gregorius narrat *in suis Dialog. lib. 4. cap. 40. de anima S. Paschasij Diaconi*, quod scilicèt hic *miræ sanctitatis vir fuerit* (sunt eius verba) *eleemosynarum maximè operibus vacans &c. Cùmque post obitum eius dalmaticam dæmoniacus quidam tetigerit, statim sanatus est: Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo Medici pro corporis salute dictauerant, ut in Angulanis Thermis lauari debuisset, qui ingressus easdem Thermas prædictum Paschasium stantem, & obsequentem in caloribus inuenit, quo viso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquisiuit, cui ille respondit, pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symachum sensi: Sed quæso te pro me Dominum deprecare, atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens, me non inuenies. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies rediit, sed iam dictum Paschasium in loco eodem minimè inuenit.* Et tamen quod iste sit Sanctus, & ab Ecclesia uti talis colatur, dubitari non potest, legiturque descriptus in Martyrologio Romano sub die 31. Maij. Exemplum simile habemus apud Ribadeneir. de S. Vdalrico die 4. Iulij, inde asserentem documentum notabile sumi posse, non esse incompatibile cum sanctitate, & cum miraculorum narratione, quod quis post mortem aliquas maculas in igne purget. Similique argumento pro obtinendo Officio S. Eliæ, vtitur *Lezzana* referens easdem historias *consult. 3. num. 119.* Et confert historia relata per *Baron. anno Christi* 1062. *num. 68. Annal. tom. 11.* cuiusdam S. Seuerini, vel Pelegrini Episcopi Coloniensis, qui adhuc in Purgatorio manebat ob non recitatas tempore congruo Horas Canonicas; Ità verò argumentum promouet Rainaud — *Cæterùm proposita ratio est planè inanis. Ex ea enim sequeretur nullius Sancti memoriam posse esse festiuam, nisi in exitu è corpore rectò Cælum adierit. Cùm autem per pauci sint, qui non sint salui quasi per ignem, vix ulli essent, quos Ecclesia posset colere: Dummodò ergo Sancti abstersis aliqualibus reliquijs fuliginis huius vitæ inferantur Cœlo, quia hinc excesse-*

runt in gratia, satis id superque esse debet, vt coli possint. At constat Sanctos Christo anteriores excessisse è vita in Sanctitate, & iustitia: Igitur quod nondum reserata Sanctorum via, nec Cęlo adhuc aperto cogerentur ad Christi vsque aduentum hęrere in Lymbo, obesse non debet, quominùs ex quo Cęlis illati sunt, festina sit eorum memoria.

Cæterùm licèt animæ Sanctorum Patrum in illa temporali carceratione
non fruerentur perfecta possessione beatitudinis, nihilominùs eorum
40 status censeri non poterat miser, atque luctuosus (ob quam rationem
ipsis non conuenire indultum festiuitatis post D. *Bernardum* huius difficultatis authorem colligunt præcitati DD.) sed ipsis prouidebat Dominus sufficienti consolatione, eisque illucebant radij promissæ, atque speratæ beatitudinis, qui ipsos reddebant beatos in spe, vt respondet *D. Thom. d. quæst. 52. art. 5. in resp. ad 1.* explicans assertionem *D. August. in cit. epist. ad Euodium*, quod scilicèt Christus secundùm beatificam præsentiam suæ Diuinitatis nunquam ab ipsis recessit, ibi -- *Et per consequens soluit eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ, ex cuius tamen spe magnum gaudium habebant secundum illud Ioan. 8. Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum* -- Et ideò subdit -- *à quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ Diuinitatis nunquam video recessisse, in quantum scilicèt ante aduentum Christi erant beati in spe, licèt nondum essent beati in re* -- prout *D. Bernard. in d. serm. 4. super fest. Omn. Sanct.* loquens de requie Sanctorum Patrum in sinu Abrahæ dicit, quod *impij cruciabantur, Iusti verò consolabantur*. Quod etiam dilertè confirmat *P. Capisucc. cit. controu. de Martyr. §. 23. vers. obseruandum tamen*, ibi -- *Eum autem fuisse locum consolationis probat nomen sinus, seù gremij, & testatur Abraham Luc. 16. cum de Lazzaro dicit, nunc autem hic consolatur*, & clariùs *in vers. Sed ad rem nostram*, ibi -- *Sed in loco illo, qui dicebatur sinus Abrahæ vsque ad Christi mortem permanserunt, ibique quiescebant, etsi non quiescerent per immunitatem desiderij, erat tamen in eis gaudium magnum de gloria, quam sperabant, sicut est in alijs Patribus, iuxtà illud Ioann. 8. Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est, vndè erant beati in spe, licèt nondum essent perfectè beati in re, vt inquit S. Thom. 3. par. quæst. 52. art. 5. ad 1. nec dilatio spei efficiebat in Sanctis illis afflictionem, quia afflictionis capaces non erant. Vel dicendum, quod quamuis spes ratione absentiæ speranti afflictionem faciat, tamen ratione certitudinis facit delectationem. Et quia certitudo spei in eis deficere non poterat, ideò delectatio, quæ ex certitudine causabatur, absorbebat afflictionem, quæ ex absentia contingere poterat. Ità S. Thom. in 3. senten. dist. 26. quæst. 2. art. 5. quæstiunc. 3. ad 1. & in duobus versiculis seqq. assignans rationes disparitatis, cur animæ purgantes ob dilationem beatitudinis afflictionem patiantur, eam verò non sentirent animæ Sanctorum Patrum in Lymbo, scilicèt quod illæ talem dilationem patiebantur propter propriam culpam, pro qua indigebant purgatione; hæ verò solùm propter commune impedimentum naturæ, quia non adhuc solutum fuerat pretium pro nostra redemptione, quo persoluto, statim adeptæ fuerant possessionem beatitudinis per visionem beatificam.*

Superest modò respondere alijs rationibus pro parte negatiua adductis, quod facili pariter negocio expediri potest.

Prima siquidèm deducta per Augustinum Triumphum, quod non deceat
antiquos Patres canonizare, & Sanctos declarare ex eo, quia causa debet
41 effectum præcedere, Christus autem fuit causa sanctitatis omnium
Sanctorum, solùm adhibita fuit ad probandum, quod antiqui Patres

non debeant solemnitèr canonizari (quod est extrà præsentem quæstionem) nullatenùs verò probat, illos non esse verè Sanctos, & vti tales colendos, & inuocandos, quod Triumphus negare nunquam cogitauit, cùm de fide certum sit, ipsos ad gloriam per Christum peruenisse in eius gloriosa Ascensione, iuxtà Dauidicum vaticinium *Psalm. 67. vers. 19. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*; Quod de Christo interpretatur *Apostol. ad Ephes. cap.4.* ibi -- *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*.

Licèt autèm Christus, vt homo, ordine executionis fuerit posterior Sanctis Patribus, secùs tamèn ordine intentionis, cùm ipse fuerit prædestinatus ante omnem creaturam, & ante omnia sęcula, vt dixit *Apostol. 1. ad Corinth. cap.1.* Et ità potuit esse causa sanctitatis antiquorum Patrum, moralis quidèm, non physica, cùm ad hoc sufficiat, quod præcedat effectum in intentione, vt indicat *D. Augustin. cit. lib.3. contra 2. Epist. Pelag.* ibi -- *Sancti veteris Testamenti ab eo, puta à Christo, in prascientia, & prædestinatione Dei futuro, omnem suam gratiam, & iustitiam hauserunt*. Et *D. Thom. in 3. par. quæst. 49. art.2. ad 2.* ibi -- *Et quicumque ante passionem Christi Diabolo resistebant, per fidem passionis Christi hoc facere poterant, licèt passione Christi non dum peracta*. Quapropter negari non potest, Sanctos Patres, licèt Christum longè præcesserint, de eius plenitudine accepisse, sicut & nos omnes accepimus, vt dicitur *Ioan.1.*

Sed quatenùs etiam ad causalitatem requireretur præexistentia, adhuc ea non deficeret, saltèm ex parte formæ dignificatiuæ, quæ est ipsa Diuinitas, & Persona Verbi: Ob vnionem quippè hypostaticam merita Christi euaserunt infinitæ virtutis, & efficaciæ propter dignitatem ipsis à forma vnita tributam, eaque cùm nedùm tempore, sed æternitate præcesserit omnes Sanctos veteris Testamenti, benè potuit quoad ipsos influxum exhibere, causando eorum sanctitatem, vt in puncto huic difficultati respondet *P. Esparza in tract. de Myster. Incarnat. quæst. 41. ad 1.* Prout etiam simili difficultati occurrit *D. Thom. in 3. par. quæst. 48. art. 6. ad 2.* vbi probat non esse de ratione causalitatis meritorum Christi, quod physicè, & præsentialitèr contingat subiectum, in quo operatur, ibi -- *Dicendum, quod passio Christi, licèt sit corporalis, habet tamen spiritualem virtutem ex Diuinitate vnita, & ideò per spiritualem contactum efficaciam sortitur, scilicet per fidem, & fidei Sacramentum*.

Secunda paritèr ratio per *Viguerium* adducta, scilicèt periculum idololatriæ per approbationem cęremoniarum Iudęorum, quæ velut vmbra
42 transierunt post Diuini Solis aduentum, non videtur in consideratione habenda, cùm modò nullatenùs illud timeri possit, & forsan esse potuit sufficiens ad impediendam præstationem cultus temporibus viciniotibus cęcitati Gentilium, etsi illud non impedit eius exhibitionem in Ecclesia Orientali, nec etiam impedire poterit in Occidentali. Cessationem autem periculi potissimè considerat *Viguerius* pro causa permissionis venerationis impendendæ Reliquijs Sanctorum, loco citato, ibi -- *Nunc verò Reliquiæ Sanctorum Canonizatorum venerantur, eò quia sunt in gloria, & non in pęna, nec nunc est talis promptitudo, siuè periculum ad idololatriam, sicut tunc*. Quæ profectò rationes æquè conueniunt Sanctis Patribus veteris Testamenti, quos in gloria esse, & ideò absque vllo periculo coli posse, ambigendum non est. Quam paritèr cessationem periculi procliuitatis ad idololatriam, considerat idem *P. Capisucch. controu.26. de cult. Sac. Imagin. §. 1. circa fin.* vbi referens sententiam *Vasquez* asserentis, Iudæis prohibitum fuisse vsum Imaginum, sic ait:

Iudæis

Iudæis tamen, quia ad idololatriam maximè procliues erant, fuit à Deo specialitèr interdictus: Quia tamen hæc interdictio fuit iuris Diuini positiui, tempore legis Euangelicæ, quo periculum idololatriæ abest, cessauit; atque id, quod aliàs iure naturæ licitum est, locum obtinuit.

Provt etiam timeri non potest periculum alliciendi Christianos ad ritus
Hebræorum (ob quam rationem Ecclesiam abstinere debere à præsta-
43 ne cultus publici sanctis veteris testamenti supra fuit insinuatum in
argumentis pro parte negatiua) Cum potiùs Iudæi tales festiuitates non
celebrarent, nec in honorem Sanctorum Templa, & Ecclesias extolle-
rent, imò censerent ipsis in primo præcepto Decalogi prohibitum esse
vsum Imaginum, vt obseruat idem *P.Capisucch.d.controu.25.de cult. Sac: Imagin.quæst.1. §.1. & 3.* quamuis contra Vasquez illum verè interdictū
non fuisse tueatur. Ideò *S.Ioan. Damasc. orat.1. de imag.* illarum vsum
quamuis à Iudæis improbatum, seruandum docet, sicuti festiuitates
coluntur, quas ipsi pariter improbant, sic arguens: *Quapropter aut solemnes ad memoriam, & laudem Sanctorum celebritates contra legis antiquæ morem institutas tolle, aut Imagines eorum, quas contra legis præscriptum tu fieri asseris, admitte.*

Multoque minùs timeri potest hoc periculum, dum non petitur indictio festiuitatis de præcepto pro Ecclesia vniuersali, sed solum permissio publici cultus in vno loco (provt hactenùs Ecclesia concedere consueuit) Ex hoc enim non inducitur omnimoda æqualitas inter Sanctos veteris, & noui testamenti, quam Ecclesia prudenter huc vsque admittere noluit.

Et rursùs in casu præsenti cessat prorsus huiusmodi periculum cum S. Iob
non esset Hebræus, sed Gentilis, vt constat ex illius historia, & monet
44 *D.Augustin. de Ciuit. Dei lib.18.cap.7.* ibi: *Homines quosdam non terrena, sed Cælesti societate ad veros Israelitas supernæ Ciues Patriæ, pertinentes, etiā in alijs gentibus fuisse negare non possunt, quia si negant, facillimè conuincuntur de Sancto, & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proselytus, idest aduena populi Israel fuit; Sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: Qui Diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Quæ tempora eius, quamuis non inueniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro eius, quem pro sui merito Israelitæ in authoritatem Canonicum receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse, quàm Israel.* Et *D.Gregor. in Iob lib.1. Moral.cap.1. dicit*, spiritum Sanctum obseruasse ad augendum meritum virtutis, vndè Iob ortum duxerit, & vbi habitauerit, ibi; *Idcircò Sanctus vir vbi habitauerit, dicitur, vt eius meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nesciat, quod sit terra Gentilium? Gentilitas autem eo obligata vitijs extitit, quo cognitionem sui Conditoris ignorauit. Dicitur itaque vbi habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuerit.*
Idemque repetit *Scacch. de not. & sign. sanct. sect.2.cap.2.pag.119.lit.B.*

Iuuat quoq; ad respondendum tali periculo Historia relata per *D.Th. in 4. sent. dist.11. quæst.2. art.2. quæstiunc.3.* super vsu panis azimi in con-
45 secratione Eucharistiæ, quod scilicet ingruente Ebioneorum hæresi,
qui docebant legalia præcepta simul cum Euangelio seruanda esse, ideoque in Mysterijs azimo pane vtebantur, in eorum detestationem vniuersa Ecclesia Orientalis, & Occidentalis fermentatum panem in Sacrificio adhibuerit, ac demùm illa hæresi profligata Latina Ecclesia ad priscum azimorum vsum redierit. Quamuis enim hæc Historia controuertatur

à Car-

à *Cardinali Bona Rerum Lyturg. cap. 23. pag. 185. in princ.* dicente nesciri, quis fuerit iste Leo; Crederem esse multùm deferendum authoritati *D. Thomæ* satis præcisè hoc asserentis ibi - *Sed postea, vt dicit Leo Papa, imminente heresi Ebionitarum, qui dicebant simul cum Euangelio legalia obseruanda, Sancti Patres, ne eis consentire viderentur, voluerunt ad tempus, instinctu Spiritus Sancti, ex fermentato confici Sacramentum; Postea cessante illa heresi Ecclesia Romana ad pristinum morem rediit &c.* & forsan *Cardinalis Bona* dubitauit, quia tunc negabat antiquum Ecclesiæ Occidentalis vsum, sed de hoc postea se ipse retractauit, nedum in folio addito monitioni ad Lectorem, sed clariùs in literis anno sequenti scriptis Frãcisco Mariæ Florentinio, visa eius erudita disquisitione *de antiquo vsu fermentati panis, & azimi* per non minùs eruditum Marium eius filium post Patris obitum nuper typis vulgata, quæ litteræ videri possunt in fine dictæ disquisitionis p. 29. ibi - *Piacesse à Dio, che gl'hauessi hauuti prima di stampare il mio libro, haurei trattata la materia de gl'azimi in altra forma instrutto da gl'insegnamenti reconditi, che ne riceuo; V. S. hà raccolto in essi quanto si può desiderare, e veramente resto persuaso, che ne' primi Secoli s'adoperasse indifferentemente tanto l'azimo, quanto il fermentato.* Quæ planè historia clarè ostendit Ecclesiæ vsum, quod vbi cessauit periculum, non respuit, nec improbauit retentionem alicuius ritus in veteri lege seruati; Vnde cum nec verè vigeat tale periculum, nec per Cultus publici permissionem, præsertim Sancto Iob, vllo modo timeri valeat, quod Christiani se conforment Ceremonijs Iudæorum, non potest huiusmodi periculi prætextus vllo modo suadere, quod Ecclesia debeat ab hac permissione cultus abstinere.

Repetendo insuper prædictas rationes non soluere difficultatem resultantem ab exemplo Cultus exhibiti Machabæis, qui pro legis Mosaicæ ob-
46 seruantia, & pro abstinentia à carnibus vetitis martyrium passi fuerunt, alijsque Sanctis, quorum obitus Christi mortem præcessit, de quo, sicut impium esset Ecclesiam redarguere, ita dicendum est, posse alijs quoque publicum Cultum indulgeri, qui pari Sanctitatis gloria proponi meruerunt tanquàm exemplar à fidelibus imitandum, eorumque auxilium eiusdem Ecclesiæ authoritate suppliciter implorari.

Tertia demùm ratio in contrarium deriuata ab Ecclesiæ Latinæ vsu, quæ ad hæc vsque tempora abstinuit à concessione festiuitatum, & Officiorũ
47 de præcepto Sanctis veteris Testamenti, facili negotio euitatur, Siquidem de hoc modò non agitur, sed solùm de permissione Cultus publici per dedicationem Ecclesiæ in honorem S. Iob, circa quem nulla potest esse controuersia. Constat quippè nedum in Ecclesia Græca, sed etiam in Latina in honorem plurium Sanctorum veteris Testamenti Templa fuisse consecrata, vt monet idem *Guyett. de fest. propr. lib. 1. cap. 5. qu. 8.* exinde inferens licitam esse talem speciem Cultus ijs exhibere non minùs, ac Sanctis noui Testamenti. Et præcisè de Ecclesijs dicatis in honorem S. Iob actum fuit supra in §. *Omnemque difficultatem tollit*, itaut quoad hanc speciem Cultus nulla esse possit difficultas.

Multóque minùs obstare valet asserta prohibitio imponendi nomina eorũdem Sanctorum Infantibus in Baptismo; Siquidem ea minimè deduci-
48 tur ex alleg. *Can. 30. Concilij Niceni*, cum in illo solùm prohibeatur impositio nominum Gentilium, & præcipiatur adhiberi nomina Christianorũ vt ex eodem Can. notat *Casal. de veter. Ecclesf. rit. cap. 5. de Baptism. pag. 37. vers. Mos dandi nomina*. Ac proinde cum non minùs Sancti veteris Testamenti, quàm noui, ad Ecclesiam Dei pertineant, cuius Caput

est

est Christus, ob cuius fidem Sanctificati sunt, & ideò verè Christiani censendi sint, vt prȩter adductos in §. *Sed quatenus etiam cum pluribus seqq.* latè probat *Raynaud. loc. cit. num. 8. & 9.* vtique etiam iuxta sensum Nicenæ Synodi licita, & permissa censeri debebit impositio istorum nominum in Baptismo. Idque etiam colligi potest ex dispositione *Ritualis Romani sub tit. de Sacram. Baptism. rubr. de Sacr. Oleo & alijs requis. vers. penultimo*, ibi - *Curet, ne obscœna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorũ, vel Impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur, sed pot ùt, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad piè viuendum excitentur, & patrocinijs protegantur*, Quod etiam statutum fuit in Concilio Prouinciali Aquen. celebrato tempore fel. rec. Sixti V. in quo per hæc verba prohibitus fuit vsus nominũ turpiũ, & rediculorũ. *Ea nomina non imponantur, quæ turpia aut ridicula, quæue Gentiliũ, atque adeò impiorum, & impurorũ hominum memoriam refricant*, vt habetur apud *Bail. Concil. to. 2. pag. 651.* Cum igitur Sancti veteris Testamenti hæc duo præstare possint, scilicet incitamentum, & patrocinium, non est, cur ab eorum nominum impositione abstinere debeat Ecclesia.

Vsum autem, tàm antiquum, quàm modernum fuisse huiusmodi nominibus vti, licet non adeò frequenter, ac illis Sanctorum noui Testamenti, non est in controuersiam reuocandum, vt de antiquo more testatur *Euseb. lib. 8. Histor. cap. 16. aliàs 21. & S. Ioann. Chrisostom. homil. 21. in Genes.* quos refert *Rainaud. loco supra citato num. 7. in fine*, ibi - *Agnouerunt sanè id prisci illi Christiani, qui paruulos suos ad omnem excitaturi Sanctimoniam nominibus non Auorum, vel Atauorum, vt Gentilibus in more erat, sed SS. Patriarcharum, & Prophetarum eos nominabant.* Et *Baron. in Martyr. Romano sub die 16. Februarij* narrat SS Martyres Eliam, Hieremiam, Esaiam, Samuelem, & Danielem post conuersionem ad Christum, prophana sibi indita à parentibus nomina respuentes, Sanctorum Prophetarum nomina assumpsisse. De moderno verò Ecclesiæ ritu non est dubitandum, cum experientia doceat huiusmodi nomina passim à fidelibus adhiberi.

Constito ex præmissis tutò posse ab Ecclesia exhiberi publicam venerationem SS. Patribus veteris Testamenti, reliquum est examinare, an B. Iob
49 huiusmodi prærogatiuam promeruerit; Et sanè de illius sublimi Sanctitate dubitandum non videtur, tàm ex infallibili Sancti Spiritus Oraculo, quàm ex tot Elogijs SS. PP. Vltra siquidem loca eiusdem Sacræ Scripturæ disertè cumulata in eruditissima allegatione *Reuerendiss. Archiep. Tarsen.* præ cȩteris considerari meretur encomium ipsi traditum *Tob. cap. 2. num. 12.* in quo nedùm appellatur Sanctus, sed dicitur á Deo propositus tamquàm exemplar patiendi. Prout etiam legitur in *Epistola Canonica Sancti Iacobi*, vbi post adductum exemplum Prophetarum dicitur - *Sufferentiam Iob audistis?* quem locum explicans *Guglielm. Estius in cap. 5. eiusdem Epistolæ pag. 1139.* dicit - *In exemplum adduxit Prophetas, qui Populo Israel locuti fuerant: nunc exemplum affert hominis, extra Populum illum geniti quidem, & conuersati, sed apud eos patientiæ nomine plurimum celebrati, cuius etiam historiam in Canone suarum Scripturarum haberent: Habetis in sacris literis insigne exemplum patientiæ S. Iob, ad quod moneo, vt respiciatis.* In ipsa etiam eiusdem S. Iob historia manifestè comprobatur eius Sanctitas Diuini Spiritus Oraculo: Legitur enim in *cap. 2. num. 3.* Deum quodammodo admiratione raptum ita Sathan interpellasse - *Nunquid considerasti Seruum meum Iob, quod non sit ei similis in Terra, Vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Et *cap. 42. num. 8. & seqq.* vbi Deus præcipit Heli-

phas

phas Themaniti, vt imploret deprecationem Iob, ibi - *Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad Seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis; Iob autem Seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Quæ verba explicans *D. Thom. in expositione libri Iob cap. 42. lect. 1.* inquit - *Sed quia Infideles per fideles Deo reconciliari debent, subdit, & ite &c. vt scilicet vos satisfaciatis, qui peccastis, sed vestra satisfactio indiget fidelis Viri patrocinio. Vnde subdit Iob autem &c. qui scilicet dignus est exaudiri propter suam fidem. Vnde subdit, faciem eius, scilicet deprecantis suscipiam, scilicet exaudiendo eius orationes:* Et infra, ibi - *Et ita per obedientiam, & humilitatem suam digni facti sunt, vt pro eis oratio Iob exaudiretur, vnde sequitur. Et suscepit Dominus faciem Iob rogantis: Dignum enim erat, vt qui pro leui suo peccato humiliter pœnitebat, etiam alijs grauiter peccantibus veniam impetraret.* Si ergo adeò potens fuit apud Deum serui sui Iob intercessio, dum adhuc viueret, vt alijs peccatorum remissionem impetrare potuerit, quantò magis eius inuocatio fidelibus opem afferre potest, dum in Cęlo regnat cum Christo, quam esse vnam ex causis concessionis cultus eum *Lezzana consult. 3. num. 102. supra probaui.* Et planè dubium esse non potest, eius apud Deum intercessionem ab Ecclesia approbari debere, quem ab ipso Deo pro peccatoribus rogatorem propositum fuisse ex ipsius testimonio constat.

Neque ambigendum est, narrationem gestorum B. Iob, eiusque tolerantię esse veram, & fidelem historiam. Eius siquidem veritatem aduersùs Iu-
50 dæos, & Sectarios eam parabolicam, atque confictam existimantes, grauissimis argumentis tuentur SS. PP. atque DD. & præ cęteris *D. Thom. in prolog. comment. super lib. Iob.* dicit, authoritati Sacræ Scripturæ obuiare eius veritatem negantes hoc medio. *Videtur enim prædicta opinio authoritati Sacræ Scripturæ obuiare. Dicitur enim Ezechiel. 14. ex persona Domini: Si fuerint tres viri in medio eius, Noè, Daniel, & Iob liberabunt animas suas. Manifestum est autem Noe, & Daniel homines in rerum natura fuisse, vndè nec de tertio eis cõnumerato, scilicèt de Iob, in dubium debet venire. Dicitur etiã Iacob. 5. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob &c.* Quo argumento paritèr vtitur *Titelman. in solut. dub. ante elucidation. paraphrastic. in lib. Iob. pag. 3. in princ.* ibi - *Apud Ezechielem quoque Dominus ait: Si fuerint in medio eius tres Viri Noe, Daniel, & Iob, ipsi liberabunt animas suas. Manifestum est Iob connumerari ipsis Noè, atque Daniel: De quibus cum nullum sit dubium, quin in rerum natura fuerint, & quæ de eis narrantur, verè gesta fuerint, neque de Iob dubitari meritò potest. Quæ enim esset illa non entis cum entibus connumeratio? Beatus insupèr Iacobus Apostolus ipsum Iob tanquàm exemplum proponit dicens - Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt: Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors est Dominus, & miserator.* Ac paritèr *Estius in commentar. in cap. 5. epist. B. Iacob. vers. sufferentiam Iob* ex eadem Sacræ Scripturæ authoritate contra eosdem Sectarios insurgit his verbis - *Hinc duo discimus aduersus Sectarios quosdam notanda: Primum, ea, quæ de S. Iob scribuntur, historiam esse rei gestæ, non argumentum confictum exhortationis, aut doctrinæ causa, veluti fit in comœdijs, ac tragedijs, vt Anabaptistæ volunt, & veteres quidam Hæbrei: Nam ficta exempla serio non mouent, nec si ficta narratio esset, coniungeret hunc Virum Dominus Ezechiel. 14. cum alijs duobus, quorum iustitiam sibi vehementèr acceptam esse declarat his verbis. Si fuerint tres Viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Idemque argumentum inter cętera adducta pro confirmanda veritate historiæ tanquàm potissimum considerat *Grauin. de Catholic.*

præ-

præscription. lib. 4. controu. 3. de verb: Dei script. artic. 5. vbi latissimè assumptum comprobat, prout etiam pluribus aliis rationibus adductis facit *Titelman. loc. cit.* & quamplurimis relaris *Iodoc. Coct. in thesaur. Catholic. lib. 6. de Sacr. Scriptur. Eccles. artic. 6. per tot.* inter quos contrarii sentientes mirificè confutat *Olimpiodor. ad cap. 1. Iob,* ibi - *Valeant igitùr qui Scripturam hanc tanquàm confictam, atque ab humana cogitatione profectam, nec inspiratam diuinitùs, criminantur.*

Inter cætera verò encomia, quæ per Sanctos Patres Beato Iob tributa fuerunt, vltra illud Sancti Augustini cuius verba suprà retuli §. *Et rursùs*
51 *in casu præsenti,* præcipuè considerari meretur, quod *D. Gregor. lib. 1. Moral. cap. 2. in fine* vocat illum: *lilium inter spinas, & cap. 5. in fin.* ait. fuisse plenum septiformis gratiæ spiritu, & pro spe resurrectionis Domino deseruisse, *& lib. 3. cap. 5.* in pluribus eum comparat cum S. Ioanne Baptista, & *lib. 6. cap. 1.* obseruat quod tàm per nomē, quàm per vulnera B. Iob designatur passio Redemptoris: Adeòque meritò *lib. 7. cap. 6.* asseruit illum esse Sanctæ Ecclesiæ membrum, ac verba illius nequaquam cum tanta veneratione vsque ad Mundi extrema decurrerent, nisi mystico intellectu grauia fuissent. *S. Ioan. Chrisostom. in homil. de B. Iob*, ne dùm ipsum appellat martyrem, sed rursùs addit: *Imò martyres innumeros hic vnus æquat.* S. Hieronymus Beati Iob patientiam vocat triumphum Domini, & refert commendationem ei à Deo traditam, quod non esset quisquam illi similis super terram, vt habetur in Epistola consolatoria ad Iulianum *Epist. 34. tom. 1. pag. mihi 127. num. 10.* ibi: *Cumque in omnibus his, quæ contigerant ei, non peccasset coram Domino, nec quidquam locutus esset insipiens, exultans Dominus in victoria famuli sui, & illius patientiam suum ducens triumphum, dixit ad Diabolum: Animaduertisti famulum meum Iob, quià non est quisquam ei similis super terram? Homo innocens, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo, & adhùc perseuerans in innocentia. Pulchrè addidit; & adhuc perseuerans in innocentia, quià difficile est pressam malis innocentiam non dolere, & hoc ipso fide non periclitari, quod se videat iniustè sustinere, quod patitur. Et in Epist. 103. ad Paulin. num. 25. tom. 3. pag. 5. sic ait: Iob exemplar patientiæ quæ non mysteria suo sermone complectitur?* subditque: *Et (vt de cæteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat, vt nullus de ea, vel manifestius, vel cantius scripserit.* Et S. Iob typum fuisse Christi, nempè in suis doloribus passionem, & in felicitate resurrectionem repræsentantem, asserit *Titelmann in sæpè citat. solut. dubior. ante elucidation. paraphrastic. in lib. Iob circa finem,* qui post Origenis verba ad longum relata, notabiliter aduertit, fuisse B. Iob typum, & figuram passionis, & resurrectionis Christi, vt qui non pro Iudæis tantùm pati volebat, sed etiam pro Gentilitate, non per Israelitas tantùm, verum etiam per alienigenam, qualis fuit B. Iob, præfiguraretur.

Quinimò adeò gratum Deo fuisse B. Iob existimat *D. Augustinus,* vt putet, ipsum sortitum fuisse priuilegium beatificæ visionis, dùm adhuc viue-
52 ret, vt asserit *lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 29.* ibi: *Fortasse ista virtus magna cernendi data fuit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis Sancti Viri Iob, quando ait ad Deum: In auditu auris obaudiebam priùs, nunc oculus meus videt te, quod sanè priuilegium quàm singulare sit, & rarissimè à Deo concessum nemo est, qui ignoret.*

Neque prætermittenda videtur formula inuocationis B. Iob pro eius patrocinio obtinendo, quam tradidit *Origenes in 2. lib. Iob,* & refert Cre-
53 *spett. in Summ. Eccles. discipl. verb. Sancti pag. 828. col. 2. lit. E.* ibi: *O B. Iob*

viuens